



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 17. Joannis Stephani Durantii extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI.
A. C. 1589. tificio, cujus Rector, seu Præses per triginta novem annos exstitit: porro Joannes Bernarius Mechliniensis Jurisconsultus defunctum oratione funebri honorabat.

§. XVII.

Joannis Stephani Durantii extrema.

Thuan. l. 95.
Dupin. Bibl.
Sæc. XVI.
part. 4.
pag. 414.

Priusquam Michael Bajus decederet, Joannes Stephanus Durantius primus Tolosani Senatus Præses obiit, die decima Februarii Tolosæ anno ætatis suæ quinquagesimo sexto trucidatus, prout ante meminimus. Hic vix annum decimum septimum egressus, jamjam cum ingenti applausu Caussidicum agebat, ac per plures annos cum æquali felicitatis successu hoc munus obibat, postea in Tolosana Curia Advocatus Generalis, ac demum primus Præses renuntiatus. Verum temporum iniquitate plurimis jactabatur adversis; quippe foederatis, qui in Occidania numero præstabant, ac Tolosæ firmam sedem figebant, sese cum aliis opponebat. Ceterum hic idem, omni tamen ratione destitutus, se Guilielmo Durantio Mimatensi Episcopo, qui latino suo tractatu de divinis Officiis adeo celebrem sese reddidit, sanguine junctum esse jactitabat: imo referunt nonnulli, quod

Stepha-

Stephanus, ut huic Præfuli in omni-
 bus similem sese redderet, ac illum,
 quantum negotiorum diversitas permit-
 tebat, tanquam omnium actionum sua-
 rum normam sibi præfigeret, latinum
 tractatum de sacris ritibus, qui omnium
 manibus teritur, conscripserit: at longe
 vero similis videtur, quod hic li-
 ber ex calamo Petri Danesii Vauren-
 sis Episcopi profluxerit, ac Durantius il-
 lum duntaxat emendaverit, quippe hu-
 jus Præsidis animus longe aliis, gra-
 vioribusque negotiis erat intentus,
 quam ut ejusmodi libri a dignitatis suæ
 ratione tantopere alieni elucubrationi
 vacare potuisset, si tamen quoddam
 temporis momentum inter tam amplas
 occupationes ipsi reliquum erat, illud
 sedulo dicabat concinnandis jurispru-
 dentiaë libris, quorum eruditio, scri-
 bendique ratio sat manifeste prodit, li-
 brum de ritibus longe alterius ingenii
 partum exstitisse: de cetero hunc ipsum
 tractatum nondum typis impressum sibi
 vendicabat Durantius, dum Vauren-
 sis Episcopi Bibliothecam coemerat, illum-
 que typis edendo sibi honorem conci-
 liare nitebatur. Ceterum Durantius
 Religiosos Viros summo studio prote-
 gebat, ac Tolosæ duas sodalitates, qua-
 rum prima de Spiritu sancto, altera au-
 tem de misericordia nomen adepta est,
Hist. Eccles. Tom. I.I. C insti-

Sæcul. XVI,
 A.C. 1589.

Sæcul. XVI.
A.C. 1589. instituit, illaque ad pauperes Virgines in honesto matrimonio collocandas, hæc vero ad pauperes captivos consolandos, adjuvandos, protegendos, que erecta est: insuper præter Pœnitentium Sodalitatem ab eo institutam Tolosæ Jesuitarum Collegium erexit, & Fratres Cappuccinos ex Italia evocavit.

§. XVIII.

Henricus Mollerus, & Martinus Crommerus mortui.

Thum. l. 96.
Konig Bibl.
Mir. de
Script.
Sæcul. XVI
Hartkonok
de orig. Re-
lig. Christ.
in Prussia. Eodem hoc anno die vigesima sexta Novembris Henricus Mollerus Theologus inter suos sat celebris, atque Hebraici sermonis peritissimus anno ætatis suæ circiter sexagesimo naturæ debitum solvit: natus is erat Hamburgi, in Hassia vero Theologiam professus commentarium in Isaiam, & Psalmos præter quædam carmina conscripsit.

Insuper Martinus Crommerus hoc anno non sine proborum luctu fati functus est. Erat is Sigismundo secundo Poloniæ Regi a secretis, ac postea Warmiæ in Borussia Episcopus: successerat enim in hac Ecclesia Cardinali Hosio, uni ex Legatis Pontificiis ad Synodum Tridentinam decretis: porro Martinus inter eruditos ingens sibi nomen comparabat eleganti sua Historia de Poloniæ rebus, quam triginta libris com-

prehen-